

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Jakob Helwig Johannes Rathenius

## **De Principio Causali, Diatribe Academica**

Rostochi[i]: Richelius, 1655

**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730137767>**

Druck Freier  Zugang



Rk phil 1655  
Jacob Helwig  
Johann Rathenau



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn730137767/phys\\_0002](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730137767/phys_0002)

DFG

16

כעורה הסברת הראשונית  
*DE*  
**PRINCIPIO CAUSALI,**  
*DIATRIBE ACADEMICA,*  
*Quam*  
In illustri Varno-Balthica  
Consentiente Amplissima Facultate Philosophica,  
*PRAESIDE*  
**M. JACOBO HELWIGIO,**  
COLONIENSI MARCHICO,  
Publicè respondendo ruetur  
**JOHANNES RATHENIUS,**  
Gryphismolà Megapolitanus,  
In Auditor. Majori ad d. VII. Julii  
boris ab VIII. matutinis.

---

ROSTOCHI, Praelo RICHELIANO, eis Ioc LV.

LIBER  
BIBLIOTECARII  
S. J. C. M. A. P. I. O. G. A. N. S. A. T. I.  
P. R. I. C. E. P. I. O. G. A. N. S. A. T. I.  
P. R. I. C. E. P. I. O. G. A. N. S. A. T. I.  
P. R. I. C. E. P. I. O. G. A. N. S. A. T. I.  
P. R. I. C. E. P. I. O. G. A. N. S. A. T. I.  
P. R. I. C. E. P. I. O. G. A. N. S. A. T. I.



בָּשֵׁם הַחֲלִילָה לְלָא תַּחֲלִיל

D E

# PRINCIPIO CAUSALI THESES METAPHYSICÆ.

**P**RINCIPIUM uti in formalis suo non nisi consecutionem & connexionem infert, quā unum ab altero verē & realiter procedit, sive dependentia eam comitetur & principiati illatio, sive minus; alia pro duplici hoc respectu duplex etiam constituitur. Si enim ejusmodi sit, à quo aliud per dependentiam & consecutionem causalem ac effectivam procedit, Principium efficitur *causale*: Sin tale, qvod nullam dependentiam importat, sed solam habitudinem ac consecutionem ad id qvod procedit, *non Causale*. Atqve hoc vel eminenter nomen principii obtinet vel *vulgariter*. *Ilo sensu* Pater in Sanctiss. Triade principium dicitur filii, & Pater ac Filius Sp. Sancti: ita scil. ut remotā omni dependentiā, causalitate, inæqualitate, aliaq; imperfectione, qvicqvid in principii voce dignitatis, perfectionis & excellentiæ est residuum, Patri respectu filii, & Patri ac Filio resp. Sp. S. tribuatur. *Hoc modo* Conimbric. part. I. in l. I. phys. c. V. Q. I. a. 1. & cum illis Joh. Casus Lapid. Philos. pag. 102. locum ē quo quisque proficitur, principium esse dicunt via, & privationem principium generationis, sed non causale. Qyorum exemplorum prius commodè qvidem adduci existimamus, cum pollicem premere illis non possumus, qui audent asserere locum ē quo quisque proficitur, seu terminum itineris à quo, esse etiam illius causam, & movere ut finem metaphorice &c. Posteriori verò an probare possimus, val-

A 2

de

dè dubitamus, cum privationi non tantum omnem principiū rationem sed etiam ipsam Entitatem plerique modernorum Philosophorum denegent: qva de re commodior dicendi locus est in Physicis.

II. Nos ad id redimus à qvo digressi sumus, qvodq; dissertationis nostræ argumentum est, PRINCIPIUM CAUSALE. Appellatur id uno nomine *Causa*, quasi *cautam dicas*, & tale quid denotes, in qvo investigando in primis cautione, diligentia & circumspectione opus sit. Estq; hæc vox JCtorum ob crebriorem usurpationem ferè propria, notans omnem actionem qvæ in Senatu vel foro habetur, pertinensq; non ad contractus tantum, sed & ad omnes obligationes, l. i. C. de rebus creditis. §. Si quis agens l. de Actione. Atque huic acceptioni duæ voces in Ebræo respondent idiomate, qvarum altera est רִיב qvæ extat Gen. XIII. 7. וְזִירָב בֵּין ubi non solum altercationem privatam inter servos Lothi & Abrahami exortam intelligi debere, sed etiam litem coram iudicio domestico ab utraque parte tanta cum vehementia ventilatam, ut ipsi etiam Judices in partes tracti fuerint ex 7. seq. 8. manifestè constat, in qvo hæc continetur Abrahami ad Lothum petitione בֵּין רַבִּי וּבֵין מִרְבֵּה non tantum בֵּין רַבִּי וּבֵין רַעַד לְאֶתְעָנָרְךָ רַב non respondebis de causa vel lite: de qvorum verborum vero intellectu vid. Pl. Rev. & Excell. Dn. D. Varen. Comm. in Elle-schmooth Dec. XVI. loc. IX. Cocl. IV. Altera vox est בֵּין רַבִּי qvæ habetur Deut. XVII. 8. Si occulta erit res tibi in iudicio בֵּין רַבִּי inter causam & causam Vinariensi. in zwiefelhaften Streitshändeln & Ps. IX. 5. שְׁוֹרֵן רַבִּי Fecisti causam meam. Rad. est בֵּין causam agere, judicare. Unde & Ebr. יְלִיד iudex, ac Chaldaicum plurale בְּנֵי בֵּין qvod respondet nomini *Causidici* apud latinos pariter à *Causa* deducto.

III. A JCtorum foro ad Rhetorum rostra Causæ vox postea transit, qvi, qvod Latini modo qvæstionem, modo propositiōnem, modo consultationem; Græci jam θέσιν jam ταύτην; ipsi etiam alio nomine *Thema* dicunt, illâ designant; triaq; talium causarum ἄρδη constituunt, nempe θεμάτων, συμβολῶν καὶ δικῆς.

καὶ διηγείνεται recens. Arist. l. I. Rhet. c. III. Sed cum in Cathedra  
jam versemur Philosophica, removenda sunt utraqve hæc à pro-  
posito nostro aliena significata, illudq; unicè inqvirendum, qvod  
nostræ est propositi. Innotescit id maximam partem ex iis qvæ  
jam diximus. Dum enim adserimus Causale principium ad prin-  
cipium ut sic se habere ut speciem ad suum genus, exulat statim la-  
ta illa & abusiva Causæ pro Principio acceptio, qvam adripuerunt  
Patres græci, cum Deum Patrem dixerunt causam Filii. Dum ve-  
rò omni principio veram & realem processionem adsignamus,  
eliminamus eo ipso ex Principiorum & causarum censu ἀκύρως  
ita dictam Causam sine qua non, qvæ realem consecutionem non  
præbet, sed conditio tantum est ac requisitum sine quo effectus à  
vera causa produci nequit: qvomodo apertio libri est conditio  
sine qua non lectionis; remotio valvarum, illuminationis: qvia nec  
clausus liber legi, nec fenestræ valvis obstructa museum illumina-  
ri potest. Tandem, cum causalí principio dentur adhuc, ut mox  
patebit, inferiora, ad qvæ se instar generis habeat, exesse statim ju-  
bemus nimis strictam illam solius *causa efficientis* notationem,  
qvam apud Platonem in Hippia majore suam facit Hippias, conce-  
dens Socrati, quod Efficiens nihil aliud sit, qvam causa.

IV. Relinqvitur ergo illa, qvam in ipsis oculiferiis produxi-  
mus, causæ acceptio; Scil. pro principio, qvod verum & realen-  
t influxum importat in esse causati, seu, qvod realiter esse alteri com-  
municat. In hoc enim formalem causæ rationem consistere, &  
alibi ostensum est, & vel ex eo patet, qvod reliqua duo, qvæ in cau-  
sa considerantur, ad formale nihil faciant, cum *Entitas* non nisi  
materialem & subjectivam rationem habeat: *Relatio* verò seu re-  
spectus causæ ad causatum consequens sit ex formalí causæ tan-  
qvam ex fundamento resultans. Atque hoc modo accepto voca-  
mini causæ apud Judæos respondet Ebræum סבָרָה à R. סבָרָה cui  
significatio inest circumdandi, ambeundi, revertendi, circumvolvendi,  
causam præbendi &c. Unde & Chaldæi mutuantur suam סובָה, qvod  
menstruum notat, qvia illud suam naturalem causam certam &  
statam obtinet. Ubi tamen bene notat B. Joh. Tarnovius, in S.

Codice vocem 755 potius circuitus, periodos & vicissitudines metare quam causas, quem vide sis in Exercit. Bibl. p. m. 322. & 566. seqq.

V. Ceterum definitiones causæ apud varios extant varia. Conimbiticensibus l. II. Phys. c. VII. q. 1. a. 1. præ aliis hæc adridet: *Causa est id, à quo aliquid per se pendet.* Svarez I. Metaph. disp. XII. Sect. II. n. 3. hanc amplectitur: *Causa est principium per se influens esse in aliud: quam & suam facit Mendoza Disp. IX. Phys. Sect. I. §. 1.* Sed neutra tamen placet Roderico de Arriaga, qui causam sic definiti posse putat, quod sit, quæ per se in fluere producendo essentiam, Curs. Philos. Disp. VI. Phys. S. I. n. 7. Franc. Murcia Curs. Phil. I. II. Phys. dis. II q. 1. paulo aliter h. m. *Causa est à qua per se dependet effectus.* Nobis jam singulas quidem descriptiones has excutere nec libet neclaret, neque videntur illæ eam comprehensionem mereri quam haber D. Drejer. *Disput. VI. in Prim. Philos. rh. 8.* Scil. quod genus definitiarum, cum nomen a singui deboret, & vocabulum metaphoricum ac barbarum longe obscurius ipso definitio in definitione ponatur &c. Cum tamen omnes & singulæ Perseitatem influxui addant, id prætermittere non possumus, eas ideo adæqvatas & generales non esse, nec exhaustire totam Causæ ut sic latitudinem, sed primarium tantum respicere analogatum, causam scil. per se. Aliud autem est causa talis & talis, seu, cum certo & determinante modo, aliud causa ut sic, seu, in sua latitudine, quæ ab omni speciali & determinante modo præscindit, ad quam sufficit verus & realis in esse causati influxus, quocunque etiam ille fiat causandi modo.

VI. Quid ipsam causam per accidens non minus veram causam esse atque est causa per se, vel ex eo patet, quod non nominalis, sed realis est divisio in causam per se & per accidens. Fateri id cogitur ipse Mendoza. Etsi enim is l. c. §. 1. dixerat, in Svareziana causa definitione ly per se excludere causas per accidens; tamen Sect. IX. §. 116. reliquis causæ divisionibus realibus hanc adjungit. Causam per se esse dicit, quæ est per se necessaria ad effectum, ita ut sine illa effectus esse non possit: Causam vero per Acc. que ita concurrit ad effectum, ut ad illum non sit necessaria. Quæ quidem descriptiones si rem ipsam consideremus, nequaquam discrepant à tritis illis:

Causa

*Causa per se est, à qua directe dependet effectus, aut ut Gutk. dīsp. Met. VII. th. XXII ad quam in actu posicam nec impediat necessariò sequitur effectus; Causa per Accidens est, quæ vel ex necessitate vel natura sua ad producendum effectum non concurrit.* Hinc facile etiam exempla ab Hurtado adducta recipimus & nostra facimus. Ignis (aqua etiam enim omittimus, quippe de qua lis est inter Phyleos, an subjectum caloris esse possit) est per se causa calefactionis in ligno, procedentis à calore in ipso existente, quia licet calefactio adequate procedat à calore ignis tamē est necessarius ad existentiam caloris, qui natura sua nisi in subiecto neque existeret. Sed Musicus est causa calefactionis per Accid. quia homo calefaciens est Musicus. Evidenter calefactionem bene fieret ab homine non musico, quam à musico, quia principium calefaciendi non est musica, sed calor. Sic qui tendit Toletum fratris invisendi causam, ibi pecunias recipit, fuit quidem hoc per Accid. quia ipse non invisit Toletum pecunias recipiendi causa, sed contigit eas repetere. Et qui nivim trahit, trahit quidem musicam in navi existentem, sed per Accidens, quia ita est musica non esset in navi, adhuc traheretur navis. Quorum exemplarum prius de Musico illustrat causam per Accidens ex parte causæ, posteriora ex parte effectus, de qua distinctione vid. Ibeor. Transc. Exc. D. Scherfi p. m. 602. seqq.

VII. Cum igitur causam per Accidens ad effectum concurrendo Mendoza concedat, illud verò quod ita se habet, causa non men mercatur, sive illa ad effectum sit necessaria, sive non; manifestum est, causam per Accidens non & quicquid dictam, sed veram causam esse. Ut absurdos esse oporteat illos, qui ly per Accidens fingunt esse determinationem alienantem & tollentem rationem causæ. Alienatio enim ejusmodi sit semper per vocem repugnans, quæ vi sua tollit rationem termini, cui adjungitur, propriam, eamq; in impro priam transmutat. Quomodo ly mortuum adpositum homini tollit ipsum hominem, cum homo mortuus nihil minus sit quam verus homo: & ly defloratum coniunctum virginem, tollit ipsam virginem, cum deflora ta virgo nihil sit aliud quam non-Virgo. Verum adplicetur id jam ad nostram Andromachien, & videatur an & per Accidens pariter sit terminus istiusmodi alienans? An Musicus per Accidens museum calefaciens, illud non calefar-

calefaciat? qvi muscam in navi per Ace. trahit, illam non trahat? qvi tegula de tecto labente occiditur, non occidatur? qvi ferro candente per Acc. aduritur, non aduratur? &c. Non concedet, scio, Mendoza, qvi verè Musicum calefacere, viatorem pecuniam recipere, nautam navim trahere adserit. Nec concedet facile qvi veritatem autoritatibus & præconceptis opinionibus potiorum habet.

VIII. Cæterum reperitur hæc divisio in omni causarum genere. Ita lignum per se est *materia plantæ*, per Accidens verò mensæ vel scamni. Auro, qvod per naturam, certam suam formam specificam obtinet, per Acc. inducitur *forma monilis* vel poculi. Forma, qvam Rhabarbarum alieq; herbae purgantes per se habent, corpori humano inest contingenter & per Accidens. Generationem intendit per se natura ut *finem*, sed corruptionem per Acc. Vinum sitim sedat per se, sed homicidii *efficiens* est per Acc. sc. in temulento. Per se homo generat hominem, per Acc. homo generat monstrum. Qvo spectant omnia illa qvæ *casu* aut *fortuna* fieri dicuntur, cūm hæc duo peculiares quasi species sint causæ per Acc. hoc tamen cum discrimine, ut *Fortuna* sit in actionibus hominum *ex aequalitate* liberè & voluntariè agentium; *Casus* verò in actionibus *avō ex aequalitate* & naturaliter agentium, qvae re agi solet in Physicis.

IX. Sunt qvi Deum qvoqve hūc arcessunt, eumq; causam per Acc. peccati dici posse confidenter adseverant. Nobis in hunc controversiæ campum prolixius excurrere non licet, ne foro nos immiscere videamus Theologico. Quid tamen sentiendum sit ex dictis constat, scil. qvia *causa* per Acc. est *vera causa*, & *causa peccati* ex parte *inordinationis actus* non est nisi per Acc. ac deficiens *verius quam Effic.* juxta D. Thomam Ia IIe q. LXXV. a. l. c. ideò non potest non in sanctissimum Deum summoperè hic loquendi modus esse injurius, quantumvis etiam pallietur & excusat. Approbamus igitur meritò effatum Thomæ. l. c. q. LXXIX. a. l. c. Cum Deus omnium ultimus finis & bonum existens, omnia ad seipsum dirigat & convergar, nec alicui quicquam debeat, non potest alicui directè vel indirectè causa peccati esse. Et sanctius omnino istis Christianis locutus fuisse

fuisse videtur Plato, qvem Cœl. Rhodig. l. XV. lett. antiqu. e. X. pro-  
pterea non immerito sanctissimum Philosophum appellat, qvì l. II. de  
Justo vel Republ. ea de re hunc ferè in modum colligit: Bonus Deus  
est: At qui nullum bonum noxiū est: Quid innoxium est, nunquam no-  
cet: Quid nunquam nocet, nequam malum facit: Quid autem ni-  
bil mali facit, nullius mali est causa. Igitur Bonorum solus Deus causa  
est dicendus. Malorum autem quamlibet aliam præter Deum causam  
querere decet. Et post pauca, Malorum, inquit, alicui causam esse  
ipsum Deum, cum bonus sit, omnino refellendum est, neque permitten-  
dum, hoc quenquam dicere in sua civitate, si bonis institui legibus civitas  
debet, neque insuper quenquam audire, sive sit junior, sive senior, sive car-  
minibus hæc inserantur s. soluta oratione narrentur, tanquam quæ nec di-  
ctu sancta sint, neque nobis utilia, neque inter se consona &c. vid. inte-  
rim D. Scharfum in Dispp. II. Apolog. de Causa per Acc. Jac. Mart. tr.  
de causa peccati, Gerhard. dis. Isag. XIII. c. IV. th. 4. Henr. Nico-  
lai de causa per Acc. exerc. III. & seqq.

X. Nostransimus jam ad reliquias Principii Causalitatis divisi-  
ones. Dispescitur enim II. in Causam ordinariam, quæ consuetum  
naturæ ordinem observat, quomodo mulier viro coabitans im-  
prægnatur, & Extraordinariam, quæ eundem superat, quomodo  
Virgo viri nescia parit. III. In Universalem & Particularem. Uni-  
versalis dicitur non ratione essentia, sed ratione influxus, estq; in-  
determinata ad certum causatum, ac universaliter tam ad hoc  
quam ad illud influit. Estq; vel à tâwōs talis, quæ nullam agnoscit  
se superiorem. Talis Efficiens est Deus, Finis Dei gloria: vel  
nō, supra quam adhuc est alia. Talis Effic. sunt corpora ce-  
lestia, ut quorum influxu cessante ipsas etiam causas particula-  
res cessare oportet. Finis est homo. Particularis ad unum & cer-  
tum causatum est determinata: Ita canis determinatus est ad ca-  
nem, non ad Ursum: Stellæ determinatae sunt ad illuminationem  
terrae, & temporum descriptionem. Anima rationalis ad homi-  
nem non ad equum. IV. Particularis hæc distinguitur in Remotam  
& proximam. Remota dicitur juxta Mendozam dis. Phys. VIII.  
Sect. IV. §. 48. quæ mediata est, & non per se, sed per sua accidentia aut  
medio quovis principio operatur, ut aqua calefacit manum non per se im-  
mediata.

mediatè sed per solum calorem sibi inherentem. Proxima dicitur, qvæ immediatè per suam Entitatem concurrit ad effectum, ut calor ad calefactionem & materia ad quantitatem. Ubi non pauca desiderari nemo non videt, idq; cum primis, qvod causam proximam immediatè per suam Entitatem ad effectum concurrere dicit, cum tamen solum Ens simplicissimum id peculiare habeat, ut per Essentiam suam agat, reliqua verò omnia interventu certorum accidentium. Retinemus igitur potius usitatas descriptiones, qvibus causa proxima est qvæ immediatè, Remota, qvæ intervenientibus causis aliis influit. Qvomodo corpus Organicum materia animalis est proxima, qvatuor elementa verò remota.

XI. Dividitur causa V. in primam & secundam. Prima intelligitur causandi non proximitate sed primitate, estq; qvæ priorem non habet, qvomodo materia Elementorum dici potest materia prima, Deusq; solus est efficiens prima: de cujus quidditate, influxu in omnes creaturas, concutu cum causis secundis & similibus prolixè disputant Mendoza part. I. disp. Phys. X. ac part. II. disp. Metaphys. XX. & Arriaga disp. Phys. X. Secunda est qvæ subordinatur primæ, & ab illa in causando dependet. Ita materia hominis est materia secunda, omnesq; creature sunt causæ secundæ. Atque his nonnulli qvondam omnem actionem detraxerunt, adserentes, omnes effectus à solo Deo fieri; Creaturas autem dici operari, qviā ad illarum præsentiam Deus operetur. Alii Creaturis spiritualibus tantum actionem concesserunt, materialibus verò denegarunt: Et vicissim alii illis eam denegarunt, istis attribuerant. Verum ut rectè ait Mendoza disp. Phys. IX. S. II. §. 6. omnes illæ sententiæ ut stolidæ explosæ sunt ab Scholis. Etsi enim non independenter agant causæ secundæ, sed à prima dependeant in esse & operati, vere tamen agere dicendæ sunt, nisi experientiæ repugnare, absurdis & incommodis nos onerare, perfectionem rerum tollere, omnemq; liberi arbitrii virtutem homini demere velimus. Conf. Arriagam disp. Phys. XI. S. I. Murciam disp. Phys. IV. Q. III. Jac. Mart. Partit. Memphys. disp. IX. q. IX. & disp. XI. q. VIII.

XII. Causa VI. dividitur in Adequatam & Inadequatam. Illa est qvæ cum effectu suo recurrit h. e. qvæ effectui æquivalis est, & tota-

& totalem ejus rationem continet, ita ut causa posita, causatum quoque ponи debeat, seu ut Vasquez describit cit. Mendoz. d. l. §. 38. quae habet in se omnes formalitates similes his quae reperiuntur in effectu. Sic forma est causa adaequata qualitatis, & materia quantitatis; posita enim qualitate & quantitate ponitur forma & materia, & vicissim. Nequaquam vero accidentia causae adaequatae sunt substantiarum: quod agnoscere cogitur contra Vasquezium ipse Mendoza, Nestio, inquietus, utrum tam consequenter affirmari possit accidentia concurrere ad productionem Substantiae: quia his nulla formalitas in Substantia responderet. Hac cum Effectu non recurrat, sed inaequalis illi est, & partiale tantum ejus rationem largitur. Talis causa hominis est Sol, quia posito Sole non statim ponitur homo.

XIII. Verum missis his & aliis, altius pensitanda venit ultima causae divisio in Internam & Externam. Illa Essentiam causati ingreditur & intrinsecus illud constituit. Hac Essentiam ejus non ingreditur, sed extra illud constitutum permanet. Utraque duplex est: Unde resultat notus iste Causarum Quaternarius quem ex Arist. l. II. Phys. c. VII. t. 68. hunc in modum probat Murcia disp. II. q. II. Ad interrogationem, inquit, factam per quare, respondemus per causam: Sed interrogatio facta per quare tantum est quadruplices: Ergo tantum sunt quatuor genera Causarum. Probatur minor: quia vel interrogamus quare sit res, i. e. a quo efficienti: & sic responderetur per causam efficientem: vel propter quid sit, & tunc responderetur propter finem; velex quo sit, & sic respondemus per causam materiam; vel per quod sit, & sic responderetur per formam. Conf. Conimb. Simplicium, Philoponum, Piccolomineum, Casum & alios in hunc Arist. locum. 380

XIV. Non autem desunt, qui a quaternario hoc tum ~~ex~~ tum ~~in~~ ~~est~~ tum ~~est~~ abeant. In illorum numerum Platonem refert Diog. Laert. de vit. Philos. l. III. p. m. 206. quod duo statuerit esse rerum principia, Deum & materiam, illum & mentem & causam appellari. Triplicem causam esse dixerunt Stoici, fatente Seneca ep. L XV. Quid inveniuntur rationes, quae satis praeognantes esse, & numerum quaternarium eliminato fine in ternarium contrahendum vadere videntur, de quibus in discursu. In horum censum

censu iterum Platonem numerat Seneca l.c. quod qvatuor causis  
Aristotelis quintam adjecterit, quam ipse Ideam vocet, ad quam respiciens  
artifex, id quod destinaverat, efficiat. Et certum est, Platonem in Ti-  
mō suo & Parmenide multa disputare de Ideis, tam humanis  
quam divinis, in mente opificis, patris ac fabri mundi, existenti-  
bus. Per qvas non intelligit formas qvasdam universales extra  
Deum subsistentes, à qvibus singularia suas capiant essentias, quam  
opinionem Platoni adsingit Aristoteles: sed formas qvasdam æter-  
nas, qua in divina intelligentia continentur, & cum ipse neque orientur  
neque intereant, secundum eas formari tamen dicitur omne quod interire  
& oriri potest, & omne quod interit & oritur, ut loquitur Mutius  
Pansastr. de Osculo s. Consens. Philos. Ethn. & Christ. p. 424. An verò  
à Platone Idea talis pro peculiari, & à reliquis distincta causa habi-  
ta fuerit, & à nobis habenda sit, controversum est. Hoc svadere  
videtur ratio à nobis concessa. Quot modis responderet ad questio-  
nem quare, tot sunt causa. Videtur enim non qvatuor sed qvinqve  
modis ad illam qvæstionem responderi posse. E. g. si queratur, cur  
ædificii alicujus aut turris acuminata figura sit, non alia: non re-  
sponderi potest, id fieri propter Efficientem, materiam, formam  
& finem; sed propter Ideam in mente architecti conceptam.

XV. At salva res est. Exemplar propriè loquendo causæ  
nomen non meretur, nendum causæ à reliquis distinctæ, cum nul-  
lum omnino importet influxum. Potest tamen commodè ad ali-  
qvam excausarum numero revocari. Conimbricenses, c. I. q. IV.  
a. LII. ad formam referunt: Scotus in I. d. II. q. II. ad Efficientem.  
Murcia c. disp. II. q. II. utramqve sententiam veram existi-  
mat, adductis pro utraqve rationibus, qvarum tamen illæ, qvas  
pro posteriori adfert, præponderant. Distingvit autem inter  
Causam Eff. Physicam & directivam, achujus non illius nomen sor-  
tiri Ideam statuit, cum ridiculum sit dicere, quod exemplar, quod est  
intra mentem artificis per realem & Physicum influxum ad extra prove-  
nientem domum construat. Pertinebit e. exemplar ad efficientem  
non tam ut ejus species, quam ut ut conditio ipsi ad agendum ne-  
cessaria. Ex qvo manifestum est, qvid ad objectam qvæstionem  
respondendum sit. Scil. Acuminata est ædificii alicujus figura,  
non

non alia, propter Efficientem, tali, non alia Idea instructam ac determinatam.

XVI. Cum verò in EFFICIENTE vis causandi omnium sit illustrissima, meritò ab illa specialem causarum eviscerationem ordimur. Hanc Arist. l. II. Phys. c. III. t. 29. deseribit, qvod sit ὁρη η δέχη το μεταβολῆς η πεώτη η το ἐρεμήσεως h.e ut Conim-bric. explicant, unde primum secundum executionem mutatio aut quies provenit. Verum cum hæc definitio nec conveniat causæ creanti, qvæ ut sic non est principium motus & quietis, nec causis creatis, qvæ prima principia non sunt, hinc rectè reprehenditur à Mendoza d.sp. Phys. IX. S. II. §. i. qui commodius sic definiri putat § 2. est principium per se influens in aliud, sine mutatione sui, ex præcisa ratione influxus. Verum nec hac contentus est Arriaga, sed in ea taxat d.sp. Phys. IX. S. I. qvod & verbis constet aliquam difficultatem habentibus, & causæ quoque materiali tribui possit qvoad posteriora verba: *Ex præcisa ratione influxus.* In qvorum proinde locum substituit ista: *Ex præcisa ratione causa Efficientis.* Verum nec hoc pasto liberatur definitio tum à difficultate, tum à falsitate. Adeò enim obscura est, ut qvis longè citius & felicius auditio solo Efficientis nomine ejus qviditatem comprehendat, qvam taliginosè istius descriptionis verba adseqvatur. Et ut taceamus, genus hic ponì non proximum, qvod debebat, sed remotum, perperam vi-cissim infarcitur modus per se, qvæ, prout jam constat, omni Efficienti non competit. Nec distingvitur Efficiens per ly sine mutatione sui à causis reliquis. Nam nec materia e. g. constitutionis hominis, qvæ est corpus organicum, mutatur, nec forma, qvæ anima rationalis, nec finis, qvi gloria Dei.

XVII. Retinemus e. communem efficientis descriptionem, qva dicitur esse causa externa, à qua est effectus per veram actionem. Ejus ratio causandi indifferens, radix & basis alias dicta totius causalitatis, est absoluta Efficientis Entitas, potentiae causandi substrata. Ratio autem contrahens s. ratio attingendi causatum immediata, est potentia, per quam potest aliquid efficere. Rationis verò illius exercitium s. ipsa causalitas, qva Efficientis formaliter constituitur actu causa, est actio. Sola enim Efficientis agit, quatenus <sup>2</sup> agere

agere strictius accipitur pro communicare alteri essentiam, non suam propriam, sed numero diversam; qvod reliqvis causis nequaquam competit. Ubi simul probè notanda particula characteristica A, qva velut nota ~~Δακεληνη~~ pariter à reliqvis causis efficiens discernitur. Etsi enim interdum ad alias etiam materias quascumque admodumet, propriè tamen & secundum speciem adproportionem competit efficienti, sicut PER Formæ, EX Materiæ, PROPTER Fini, juxta Versus:

Materiam notat EX; A vel AB notat Efficientem,  
PER dat Formalem; sed PROPTER dat tibi finem.

XVIII. Notant autem communiter, reqviri ad veram actionem exercendam tria: I. *ut agens à paciente differt.* Sicut enim nihil est causa sui ipsius, sibiq; ipsi largitur essentiam, positivè scil. & simpliciter, alioquin esset anteqvam esset, qvod contradictorium; Ita & nullum Efficiens agit in seipsum, eodem scil. respectu. Nam diverso respectu idem sàpe agit in seipsum, qyomodo anima humana secundum potentiam activam intellectum producit, secundum passivam verò eum in se recipit. Dicendum igitur, differe agentem à paciente si non semper realiter, ut in actione transiente, saltem secundum diversas potentias, ut in actione immannente. In Peripato conditio i<sup>sta</sup> hac superstructa est hypothesi. *Nihil movet seipsum:* Qvam tamen dubiam id reddere videtur, qvod canis scipsum de loco ad locum movet, cum progreditur: illa etiam qvæ augentur, utique beneficio animæ seipsam in materiam novam promoventis augmentur &c. II. *ut patiens fit contiguum agenti,* seu intra determinatam Sphærām activitatis, h. e. ut ab agente immediate tangi possit patiens, immediatione vel virtutis, vel suppositi, qvam alias contactum corporalē & virtualem vocant. Cum enim agentia creata habeant determinatam virtutem operativam, necessum qvoqve est, ut habeant determinatum spatiū, ultra qvod agere non possint. Hinc non in qvavis, sed in certa distantia ignis potest calefacere, magnes ferrum, & succinum palreas attrahere, color videri, sonus audiri, homo felem aversans ob illius præsentiam angit, &c. Conf. Murcia d. IV. Phys. q. V. VI. Arriaga disp. III. in l. de O. & inter. Sect. XIII. Mendoza d. IX. S. VII.

III. Ut

III. Ut agens patienti sit contrarium, aut, ut inquit Scharfius theor. transcr. disp. X. app. IV. th. II X. ut ei non sit simile prorsus. Nam, ait, inter ea quæ prorsus similia sunt, & planè æqualia, non sit actio mutua. Sed si dicendum quod res est, nec hæc hypothesis videtur satis firma. Confirmat enim experientia, dari revera actionem inter similia, ut frigidū in frigidū, calidū in calidū, venenati in venenatum. Hinc pedes frigore lœsi ad eliciendum frigus internum, aut nive fricantur, aut aquæ frigidæ immittuntur. Digitæ adusti, ut extrahatur ignis ardor, igni admoventur: morsus venenati venenatorum curatione curantur. Et quid multis? Omnis Sympathiarum actio non ob contrarietatem fit, sed ob confinitatem & similitudinem.

XIX. Distinguitur Efficiens ratione nominis I. in *privativam* & *positivam*. De hac jam egimus. Illa dicitur esse defectus, cui aliquid imputatur tanquam causa, et si verum influxum non largiatur in esse effecti, ut quando lœsio oculi causa dicitur exæcitatis, ablatio pecuniae causa paupertatis, fractura pedis causa claudicationis, Eclipsis Solis causa tenebrarum. II. In *Physicam* s. *realem* & *moralem*. Physica itidem eadem est, quam haec enim descripsimus. Definit eam Johannes de Rada *controvers. Theol.* inter Thomam & Scotum part. II. cont. II. a. III. p. 44. b. quod sit, quæ impressione qualitatibus aut per naturalem motum, vel per propriam formam verè realitatem effectus attingentem operatur, cuius causalitas, ut ait part. IV. *controv. III. a. 3.* per propriam naturam & naturalia principia fiat, quæ effectus verè & realiter attingitur. Arriaga disp. *Phys. VIII. S. XII.* quæ verè & realiter producit effectum. Causa verò moralis Radæ cit. loc. est, quæ sine tali influxu & motu voluntatis concurredit ad effectum: cuius causalitas præcipiendo, consulendo & persuadendo & merendo fit; præceptio verò, consilium, persuasio & meritum non attingunt naturam effectus causati. Consentit Murcia disp. II. *Phys. q. I.* cui causa moralis est illa, quæ non causat influendo Physicè in effectum, sed consulendo vel præcipiendo &c. Svaregio disp. XVII. S. II. est, quæ per se non verè efficit, moraliter tamen ita se gerit, ut ei imputetur effectus: Mendoza disp. VIII. *Phys. S. IX. § 15.* quæ in effectum non influit, ei tamen attribuitur effectus, ac si verè influxisset in illum. Sic qui Titio

Titio cædem Caji imperat vel consulit, aut qvī in incendio, cum  
ignem restingvere posset ac deberet, auxilium tn. non præstat, dici-  
tur causa moralis homicidii ac damni ab incendio illati. Patet hinc  
qvid judicandum sit de qvæstione non ita pridem exorta: *Utrum Pa-  
ter filij à se geniti causa sit Physica an moralis?* Posterior adfirmat Joh.  
Zeisoldus, commotus hypothesi, qvod anima filii à parentibus non  
traducatur, sed immediate à Deo creetur: negat, idq; rectius Cl.  
Dn. Sperlingius. Si enim adlatas descriptiones attendamus, ne-  
qvaquam pater filii causa moralis dici poterit, nisi talis Pater sit,  
qvalem Herculis Patrem Plautus ait fuisse Amphitruonem, qvī  
paternos ferebat honores, cum Hercules Jovis esset filius. Non  
enī causa moralis vera sed imputativa causa est, & non verè sed  
imputativè efficit. Taceo, qvod si vera esset Zeisoldi sententia,  
inde sequeretur, 1. Patrem non generare filium. 2. Non dari ge-  
nerationem hominīs univocam. 3. Et communicationem similis  
essentiae & omnem Paternitatem tolli: qva de re alibi fusius.

XX. Jam ad distinctiones Efficientis reales, qvarum præci-  
pua est in *principalem* & *minus principalem*. *Principalis* est, à qva pri-  
mò fit actio, qvæque virtute propriā suæ formæ effectum consti-  
tuit: seu ut habet Arriaga *disp. Phys. XI. S. III. n. 43.* qvæ est æqualis  
vel majoris perfectionis cum effectu, & habet proportionem na-  
tura sua ad illum. Hanc bifariam accipi ex Scoto tradit Rada  
*c. tr. part. II. Cont. II. artic. I. p. 36.* 1. *Pro causa*, qvæ in agendo supe-  
rioreme causam non agnoscit, cui subordinetur sic, qvod agat independen-  
ter à superiori causa agente: in qva significatione solum Deum o-  
mnium rerum principalem causam esse asserit. 2. *Pro ea*, qvæ per  
propriam & intrinsecam formam operatur & agit, licet in agendo per  
eam sit ordinata causa superiori agenti. Qvomodo omnes causas se-  
cundas principales dici posse concedit.

XXI. *Minus Principalis* est causa adjuvans, qvæ concurrit  
ad actionem cum principali, non primariò, ut causa coordinata;  
sed secundariò, ut subordinata, formam scil. vel excitando vel ad-  
juvando instrumentaliter. Unde duplex constituitur, *impulsiva* &  
*instrumentalis*. *Impulsiva* s. irritans principali inservit eam exci-  
tando, movendo ac impellendo: & dividitur in *internam* & *exter-  
nam.*

**Nam.** *Internas.* ~~অগ্নিপুরণ~~ est, qvæ ab intra movet. Ita *Causa* morbi interna Medicis est, qvæ intra corpus humanum nata & hærens, idem præter naturam afficit; qvomodo apoplexia oritur ex angustia sinuum & pororum cerebri, qvatenus ea Spirituum interclusionem efficit. Ita odium ac ira causa est impulsiva homicidii. *Externas.* ~~অগ্নিপুরণ~~ est, qvæ ab extra causam internam irritat: Ita causæ morborum sunt res non naturales, aëris, cibus, potus, motus, quies, somnus &c. qvatenus aliquo vitio corpus humanum afficiunt. Qvomodo concussio violenta aut vulnus capitis causa potest esse apoplexiæ. Sic & convitia causa sunt exter- na homicidii.

**XXII.** *Instrumentalis* est, qvæ à principali dirigitur, eiq; influxu suo inservit ad effectum virtute sua superiorem, ab illa vero intentum, producendum: s. juxta Arriagam c. l. qvæ imperfectior est effectu, nec habet naturaliter virtutem ad illum, sed eget elevatione. Ubā tamen notat Fr. Murcia, instrumenta quidem naturalia esse imperfectione effectu producō, sed artificialia eo posse esse perfectiona, sc. qvoad suam Entitatem. Vocari autem instrumenta, qvia, cum natura sua non ordinentur ad talēm effectum producendum, indigeant elevari ab alio agente principali, in cuius virtute dicantur operari: qvem vide sis disp. Phys. IV. q. 2. Duplex igitur in Instrumento est actio, obser- vante Rada cit. tr. part. IV. contr. III. a. III. p. 65. Una propria qvæ competit ei secundūm propriam formam: Altera *Instrumentalis* s. à causa principali impressa, secundūm qvam instrumentum ope- ratur, non in virtute propriā, sed in virtute principalis agentis: sicuti securis cum seindit, hoc ei competit ratione suæ activitatis; qvando autem ad lecti vel domus fabricam concurrit, id fit propter actionem adventitiam, in quantum est instrumentum ar- tificis.

**XXIII.** Hinc non immeritò Keckermannum reprehendit Scheiblerus l. I. Metaphys. c. XXII. n. 84. qvod in Syst. Log. l. I. c. XV. Instrumento cooperativo contradistinguit passivum, qvod ait in productione effectus se non commovere, sed actionem principali agentis planè passivè juvare. Videtur tamen cum hoc facere Mendoza, qvando disp. Phys. IX. f. XII. §. 115. Causam instrumen-

C

talem

talem ut sic, activam esse negat, quia instrumenta artis potius concurrent patiendo motum artificis quam agendo. Quid & Arriag. c. n. 48. Instrumentum artis omnino rejicit à ratione proprij instrumenti Physici, eò quod non attingat Physicè effectum, nec ejus causa sit, eum tamen causa instrumentalis debeat esse propriè causa. Verum etsi facile concedamus, actionem quæ ab instrumento pendet, in instrumento artis non adeò esse manifestam, atque est in naturali; non tamen omni actione illud orbandum censemus, cum juxta Arist. l. I. de part. Anim. c. V. Instrumentum omne rei alicujus gratia sit; id autem ipsum esse alicujus gratia non nisi pro actione sit. Sic dolabra, qva utitur artifex ad producendam mensam, non tantum patitur motum artificis, sed revera agit, levigando asseres, vi formæ & materiæ proprie. Incus, etsi se non commoveat, sed ab alio moveatur, revera tamen agit actione resistentia. Unde non tantum Instrumentum determinatur à principali, sed ipsam quoque determinat, tum quoad speciem actionis, ut effectus sit talis speciei, quomodo faber lignum levigaturus dolabra opus habet non terebra: tum quoad exercitium, si non positivè, cum non semper praesente instrumento agat causa principalis, saltem negativè, quia sine instrumento illa agere nequit.

XXIV. Patet ex his, dividi instrumentum in *naturale* & *artificiale*. Dantur autem præter hanc aliæ etiam ejus divisiones, ut instrumentum sit (1) vel corporeum, ut canes venationis, vel incorporeum, ut Ebræa lingua Theologiae. (2) vel animatum, ut servus, vel inanimatum, ut malleus, (3) vel necessarium tum simpliciter, quo carere causa principalis in producendo effectu nullo modo potest, ut oculi ad videndum, tum secundum quid, quo carere quidem potest, sed non facile nec commodè, ut sunt boni Praeceptores ad acquirendam eruditionem: Vel arbitrium, quo causa principalis commodè & facile carere potest, dummodo velit, ut vinum ad exemplandam sitim, (4) vel conjunctum vel separatum, & utrumque vel secundum esse, vel secundum causalitatem. De qua distinctione ut & de illis quas alii addunt, in instrumentum activum & effectivum, naturale & divinum, idq; tum Phys. tum Morale &c. proximus quicquam addere materiæ ubertate prohibemur. Id tamen

men notamus, cavendum esse, ne confundantur instrumenta cum mediis, quippe quæ, et si affinia sint, omnino tamen differunt, cum hoc illo nonnunquam sit dignius: ut cum natura medium dicitur, quo utitur Deus ad producendum hominem, non autem instrumentum: nonnunquam ejus virtute inferius, ut quando *Aet. V. 15.* Umbra Petri medium est sanationis ægrotorum, sed non instrumentum.

**X X V.** Excipit hanc Efficientis distinctionem altera in *naturalem & voluntariam* s. liberam. Illa est, quæ impetu & instinctu naturæ, nulla antegressa deliberatione per certum agendi modum certum effectum producit, ideoq; determinata est, tum *ratione effecti*, tum *ratione modi agendi*. Nec enim alios producere potest effectus, nec aliam agendi rationem seqvi, quam natura præscripsit. Tales causæ sunt omnia corpora, quæ sunt, vivunt & sentiunt, Astra, elementa, metalla, plantæ & bruta, quorum actionem quadruplicem esse notat D. Jac. Mart. part *Metaph. disp. IX. tb. 17. seqq.* & ex illo Scharff. *Theor. transc. disp. X. Append. IV. Thes. 40. seqq.* scil. *directam, reflexam, reactionem & resistentiam*. Requiritur autem ad veram actionem (1) ut virtus in agente sit integra & sufficiens. Hinc candela ardens non calefacit museum, sed debita ignis copia. (2) Ut patiens actionis naturalis sit capax & sufficienter approximatum. Hinc ignis comburit lignum, non cineres, nec agit in nimis dissipata. (3) Ut medium inter agens & patiens in actionibus distans interpositum rectè sit dispositum. Hinclusum Solis nubes obscurat, candela paries impedit. (4) Ut patiens non jam sit in termino completo & loco naturali, in quo, juxta proverbium Philosophicum, Nullum grave gravitat. (5) Ut agens contingent patiens, s. corporaliter s. virtualiter, quo de paulo ante. Plures conditiones qui desiderat, aeat Scotum IX. *Metaph. Q. XIV.*

**X X VI.** *Hæc*, Efficientis voluntaria, est, quæ liberè & prævia deliberatione agit, ideoq; & ratione effectuum & ratione modi agendi indeterminata est. Cum enim Causa naturalis determinata sit tantum ad unum oppositorum, agatq; ex necessitate, non quidem coactionis, sed naturæ; Ita, ut positis omnibus ad agendum

dum requisitis non possit non agere, idq; secundum ultimum potentiae suae, & sine certa actionis moderatione: Hæc contra indifferens est ad utrumque oppositorum, agitq; ex libertate: ut possitis quantumvis requisitis ad effectum producendum omnibus, nihilominus tamen cum potentia operativa ita possit componi actus, ut cum eadem quoque possit componi carentia actus & suspensio, seu, ut possit agere & non agere. Hinc etiam si agit, non agit quantum potest, sed quantum judicat necesse esse, vel quantum vult. Conf. si placet, Mendozam *in lib. de anim. dñp. XV.*

XXVII. Pro diversitate autem libertatis, diversa quoque est causa voluntaria, alia sc. merè libera, quæ pleno appetitu effectum vult, & ut vult, ita producit, qualis est Deus, liberrimè mundum producens: Angelus, liberè se de  $\pi\tilde{\alpha}$  uno in aliud movens: homo Deum liberè colens. Alia secundum quid libera, quæ effectum quidem vult & producit, sed non sine appetitus tristitia: cuiusmodi est ægrotus, qui membrum putridum resecat, ne pars sincera trahatur &c. Ubi tamen advertunt Scotistæ, quod agens liberum quandoque se determinet ad actum necessariò, summa necessitate proveniente ex ipsa libertate, ob cujus firmitatem & summam rectitudinem hujusmodi necessitatem in agendo sibi imponit in eliciendo actu, & non est ab alio ipsum qd. impellente & figura in actu suo. Verum non ita id accipiendum, ac si necessitas prævia sit ad voluntatem, hæcq; sub illa cadat, tanquam sub impellente ad actum, & figura in actu. Ita enim ageretur potius voluntas, quam ageret, cum quali tamen necessitate libertas non est compossibilis; Sed eo sensu, quod necessitas illa sit concomitans, ipsaq; sub voluntate cadat, & ex ea qd. nascatur. Vide omnino Radam part. I. *Controv. XIII. p. 207. & Controv. XXX. p. 496.*

XXVIII. Tertia Efficientis divisio esto in Totalem & pariam, seu solitariam & sociam. Illa est, quæ ad productionem effectus sola sufficit, nec alterius similis opem requirit. Similis inquam. Non enim excludit causa solitaria concutsum quarecumque causarum, cum omnes causæ subordinatae hic admittantur; sed tantum causarum similium s. ejusdem ordinis, quas coordinatas vocant. Hinc mineralia & Plantæ, quando sibi simile generant,  
quia

quia sexu carent, causa sunt solitariae, nec tamen excludunt concursum Dei & Stellarum & Caloris; sed tantum mineralis aut Plantæ sui ordinis. Hac est, quæ ad producendum effectum adjumento eget, & concursu alterius similis. Ejusmodi causæ sunt duo equi in traditione unius currus: item, mas & femina in generatione hominis: quia nec mas sine femina, nec femina sine male quicquam præstat, sed ambo requiruntur, ut conjunctim influant, & id præstent ut causæ sociæ sexu distinctæ, quod in Plantarum & mineralium regno præstant solitariae, h.e. ut stent pro una, nec nisi unum effectum producent. Interim tales causæ revera non tantum ratione essentia numericae, sed & interdum specificæ sunt distinctæ (unde currum trahere potest equus & bos, homo & equa hominem monstrorum generare &c.) idq; cum primis peculiare ac proprium obtinent, ut (1) diversam causalitatem in eodem genere ac communicatam operam, & (2) partialem influxum habeant, cum duæ diversæ causæ sint.

XXIX. Unde manifestum est quid sentendum sit de Glenii, Alstedii & aliorum sententia, quæ tres Trinitatis personas causas creationis socias dicere non erubescunt. Id enim si ita esset, tres haec causæ tria inferrent Entia, siveq; Ethnica Deorum ~~πλύθη~~ introduceretur; partialis item influxus, qui datur in omni causa socia, divisionem inferret, cum tamen creatio opus sit ad extra, ideoq; indivisum, in quo unaqvæque persona agit totaliter. Nec est quod Trinitatem suppositorum nobis objiciant, quippe ex qua ad Trinitatem actionum non licet colligere. Cum enim agant supposita per potentiam, & quotuplex illa est, totuplex etiam causa sit; hinc tres Divinitatis Personæ non nisi una & simplicissima causa erunt creationis, quia non nisi unam habent & simplicissimam potentiam ac virtutem creatricem, nempe ipsam Deitatem, quæ tota est in Patre, tota in Filio, tota in Spiritu S. Ut taceamus, supposita nequaquam esse principia actionum formalia, sed tantum denominativa. Theologie latifundia si adire lubido esset, in amplissimum excurreremus campum. Unum saltem ex Scriptura notare juvat, quod Gen. I. i. in descriptione creationis dicitur בָּרָא creavit in singulari, non in plurali, us

non multiplex sed una actio designetur בָּנָה Patris', בָּנָה Fili, & בָּנָה  
שְׁרוֹטֶת Spiritus S., prout Cabballistæ literas radicis בָּנָה per  
נוֹתְרִים explicant. vid. Cl. Schickardi Bechin. Happer. p. 62. seq.  
Atque ob hanc personarum pluralitatem singulari verbo בָּנָה adjungitur nomen plurale אַלְדוֹת qvod personarum esse & o-  
perationum, non verò essentia, accurate probat Pl. Rev. & Excell.  
Dn. D. Waltherus in Spicileg. nom. div. Conf. hanc in rem R. Menze-  
rum Disp. Gieß. tom. I. disp. VII. wegədָּנָה, & Meisnerum part. I.  
Philos. Sob. Seet. I. Q. II.

XXX. Seqvitur IV. distinctio Efficientis in Formalem & Vir-  
tualem, s. ut alias enunciant, in univocam & equivocam. Illa pro-  
ducit effectum ejusdem essentia & speciei: Sic homo producit ho-  
minem, rana ranam, mus murem; & in omni generatione talis  
datur causa. Hec producit effectum alterius essentia & speciei.  
Sic Deus facit mundum, Sartor vestem, architectus domum &c.  
qvæ exempla Rada part. I. Controv. III. a. III. p. 42. ad causam uni-  
vocam univocatione incompleta perperam reducit. Zabarella  
in l. de anim. t. 34. p. 423. cum Aristotele ejusq; seqvacibus huc re-  
fert Solem, & calorem ejus; illumq; causam dicit & qvivocam,  
culicum, vermium & aliorum ejusmodi animalium, qvæ, quia non  
generantur, ut putat, à simili in specie, non habent sua generationis cau-  
sam manifestam. Ob id, inquit, cum propriam & propinquam eorum  
causam ignoremus, referimus ipsorum generationem in causam universa-  
lem, in calorem Solis: Eodem ferè modo Rada c. l. Solem causam di-  
cit esse minima equivocam, eamq; proximam & immediatam. At verò  
nimium hic Aristotelii ejusq; autoritati, nimium Soli ejusq; calori  
tribuitur. Cum enim hunc causam universalem esse Zabarella  
concedat, negare non poterit, eum ex se naturaliter effectum par-  
ticularem producere non posse, qvalis est hæc rana, iste vermis  
Indeterminata enim est causa universalis, & indifferenter se habet  
ad plures effectus promiscue producendos, nec ad hunc vel istum  
effectum individuificum & determinatum restringi debet. Qvod  
verò Rada Solem causam proximam & immediatam dicit ranæ, in eo  
oppidò fallitur. Nulla enim causa remota specificum effectum  
potest producere, nec ejus fieri causa proxima & specifica. Nec  
magis

magis Sol agit in ranam producendam, & vermem, quam in hominem vel equum. Et dantur utique in illa etiam generatione, cuius causam aequivocam comminiscuntur Aristotelici, causæ celo propiores & vere immediatae, semen scil. & in eo latitans anima corporis sui architecta. Ut taceam, ignobilorem esse Solem quovis verme, rana, culice aliisq; corporibus, quæ plures essendi gradus obtinent ipso Sole. Unde ridendum se cordatis exponit Mendoza, quando *disp. Phys. IX. s. IV. q. 35.* exclamat: *Quis dicat, ranam esse nobilorem celo?* cum id natura dicat, ipsaq; veritas, quantumvis in contrarium celi urgeatur incorruptibilitas: quod prolixius probari posset, si hujus id loci & temporis esset. Vid. interea Cl. Sennertum *hypomn. Phys. V.* Dn. Sperlingum *tr. de Orig. Form. ejusq; defens. ut & instit. Phys. passim.*

XXXI. Properamus ad divisionem Eff. V. in *Procreantem* & *Conservantem*. Illa de novo rem effectione acquirit s. constituit in esse. Hæc rem, quæ jam est, facit durare, & in esse permanere. Subjectivè quidem hæc causæ sèpè convertiunt, ut esse & conservari acceptum feratur eidem autari eidemq; principio. Scal. ex. *XXXI.* quomodo Deus mundi Efficiens est, & procreans & conservans: Formaliter tamen differunt. Hinc parentes rectè dicuntur causæ procreatrices filii, quatenus is vitam ab illis habet. Medicamenta autem, bona diæta, salubritas aëris, exercitium corporis & alia sunt causæ conservantes vitam. Impugnat hanc divisionem Kckermannus & Timplerus, quibus tamen jam responsum est à Scheiblero in *Topic. Q. I. c. II.* & Jac. Mart. part. met. *disp. LX. q. V.* & militat pro illa ratio, quia utrique huic causæ realis competit actio, cui reale respondet *έπεγνυτα*. Unde Conservationem Scaliger c. l. nihil aliud esse dicit, quam *essendi continuationem*, & quandam veluti perpetuatam generationem. Sunt qui tertium addunt distinctionis membrum, causam scil. *corrumptentem*. Sed parum commodè: cum hæc non influat in effectum, ejusq; esse, sed in non esse. Quod si dicas, tendere eam in Ens privativum, cogitabis, obiectum Metaphysicæ esse Ens Positivum, quod non negationes tantum, sed & omnes privationes excludit. Huic igitur cum utrumque membrum affectionum disjunctarum debeat competere, non potest

potest causa corruptio[n]is, si est Ens positivum; Effectum producere, qui sit Ens Privativum. Nequaquam igitur in respectu ad terminum corruptionis aliquid propriè causa dicendum, et si in respectu ad actum corruptivum hoc nomine fortean venire possit.

XXII. Efficiens VI. dividitur in eam, quæ agit per emanationem, & quæ per transmutationem. Illa agit in objectum à se non distinctum, effectumq[ue] per naturalem resultantiam citra conatum producit, ac semper est actio immanens. Unde & causa cum effectu est simul, si non natura, per quam causa precedit effectum, saltem tempore. Sic essentia animæ rationalis in se ipsa producit intellectum & voluntatem; forma ignis caliditatem, materia terræ quantitatem &c. Hæc agit in Objectum ab agente separatum, & effectum extra se cum conatu producit. Sic sutor producit calceum, nux corylum, homo hominem. Atque ha[bit]a potissimum sunt Efficientis divisiones. Reliqvæ enim quæ afferri solent, ut in primam & secundam: Externam & internam: Perficiem, adjuvantem, preparantem, & consiliantem: Subordinatam & coordinatam, necessariam & contingentem &c. vel in recensitis continentur, vel veræ Efficientis species non sunt.

XXXIII. Properamus ead causarum externarum alteram, FINEM, cuius veram causalitatem rationibus non sicolneis multi impugnant. In eorum numero est Mendoza, qui disp. Phys. VIII. s.I. § 9. idèo finem causam realem & in rigore dictam esse negat, quia nullum habeat influxum in effectum, & tantum in Metaphorica s. intentionali motione consistat. Conf. eund. in lib. de anim. disp. XIII. s.V. & Murciam in II. Phys. disp. II. q. 2. Contra Conimbricenses in l. II. Phys. c. VIII. Q. XX. a. 2. Svarez tom. I. disp. XXIII. s.I. & plerique alii Finem causam veram atque realem constituunt. Ut autem non loquuntur de fine extremi vel termini, nec privationis, sed tantum intensionis seu determinationis. Ita vicissim intelligunt non Finem Qui s. secundum esse objectivum, qui est illud objectum, ad quod tendit Efficiens; nec obtainendum, qui jam ante existit, sed finem Quo s. secundum esse formale, & efficiendum, qui nondum existit, sed per actionem efficientis producendus est, ceu est ipsa Objecti acquisitione, possessio & fruitio. Atque hunc putant habere

bete influxum in Causatum. *Etsi enim non existat secundum esse actuale, habere tamen esse potentiale, ideoq; Ens reale dici, & movere, si non motu Physico, reali tamen & metaphorico, hocq; peculiare sibi vendicare, ut actus non sit, dum actus causat.* *Jac. Mart. part. Metaphys. disp. XII. q. I.* Adduntalii, experientiam testari, quod finis sit verum Ens, & proinde vera etiam causa, uti gloria Dei: quod ipsum etiam concedit Mendoza, quando cit. *Sect. V. § 25. Causa finalis*, ait, entitative sumpta sape est Ens reale, ut patet in Deo ultimo fine, & in quo vis fine Cui. Nobis jam fusius & pleniū litem hanc decidere non libet. Sufficiat Mendoza confessio §. 29. quod finis sit vera causa rationalis intentionalis.

**XXXIV.** Cæterum describit finem Aristoteles *II. Phys. III. t. 29.* quod sit  $\tau\delta\ \&\ \epsilon\pi\epsilon\kappa\alpha$  cuius gratia aliquid fit, seu propter quem actio instituitur, ita ut particula propter vel cuius gratia accipiatur non generaliter, prout omni causa competit, sed specialiter. *Ratio causandi*, per quam finis ad exercendam causalitatem aptus natus est, statuitur appetibilitas, qua movetur & allicitur appetitiva potentia, ut in finem tendat. Unde bonitas in fine requiritur si vera s. saltem apparet, cum secundum hanc aliquid appetitum alliciat, ut hic in illud feratur, tanquam sibi conveniens & proportionatum, quod de malo formaliter dici non potest. Illud enim nunquam sub ratione mali voluntas appetit, sed semper sub ratione boni, talis sc. quod verè reperitur in alio aliquo subiecto, & tantum per rationem applicatur appetibili, cui re ipsa non convenit.

**XXXV.** *Causalitas* finis in quo consistat non exiguum videtur habere difficultatem. Murcia *disp. V. Q. I.* eam collocat in actu terminandi habitudinem aliorum, quae sunt propter illum finem, non quomodocunque, sed tanquam id, cuius gratia alia fiunt, & hunc actum terminandi appellari dicit finalizationem. Verum rectius & clarius cum Swarezio Mendoza c. l. § 31. dicit, actionem illam productivam omnium effectuum pendentium à fine, ut procedit metaphorice ab ipso fine intentionaliter movente, esse causalitatem finaliem, itaque eundem influxum Physicum, ut ab agente, esse actionem, passionem ut in Subiectum, ut à fine finalizationem. Hoc igitur modo E. g. actio voluntatis humanæ prout dicit dependentiam à voluntate, est causalitas

litas voluntatis tanquam efficientis ; qvatenus verò est propter finem, est causalitas finis. Cum verò qvæcunque appetuntur, vel appetantur propter se, ut sifatur in illo subjecto ut in fine, vel propter aliud, ut illud subjectum ordinetur ad aliud tanquam medium; hinc finalizatio non tantum efficientem exstimulat ad agendum sui desiderio, sed & media prescribit, iisq; amabilitatem qvandam conciliat : Qvomodo sanitas dat medicamentis naufem alias creatibus qvandam amabilitatem, qvatenus illa ad sanitatem comparandam ordinantur.

XXXVI. Ut autem finis hanc Causalitatem suam exerceat, reqviritur ut sit apprehensus & cognitus, si non à qvovis concurrente, saltem ab aliquo. Cum enim omnis Causa ad causandum requirat aliquod esse, Finis quoque esse aliquo eget, qvod, qvia non est necessariò esse existentia s. exercitum (potest enim aliquid esse finis, eti tunc qvando causaliter, actu non sit, qvomodo sanitas est finis curationis) requiritur saltem esse intentionale s. cognitum & apprehensum, adeò ut finis causalitatem suam non exerceat, nisi cognoscatur & apprehendatur ab agente, cum ignoti, juxta vulgatum, nulla sit cupido. Sicut enim, qvando ignis calefacit, approximatio ejus est conditio, sub qua sit calefactio ; ita in appetitione cognitionis finis est velut approximatio illius ad appetitum.

XXXVII. Inquis, cum Murcia c. l. q. 2. Id tantum procedit de agentibus intellectualibus ; Tantum enim in his reperitur apprehensionis finis, non verò in agentibus merè naturalibus, cum careant cognitione : E. cognitionis hæc non est generale requisitum. Resp. Concedit Murcia q. III. non tantum intellectualia, Deum, Angelum, hominem, sed & naturalia agere propter finem. Et probatur (1) quia agentia vegetativa & inanimata, qvia hæc eodem semper modo agunt. Eodem modo semper seges profert aristas, vitis uvas : Forma ferri eodem modo facit ferrum, aurum aurum ; Gravia semper tendunt deorsum, & levia sursum. Qvæ omnia non facerent, nisi propter certos fines agerent. (2) Quia bruta, qvia hæc fines suos intendunt, velex instinctu nature, ut cum equus generat ad speciem propagandam, & pabulum assumit ad individuum conservandum : Vel

ex sen-

*ex sensuum cognitione, ut cum Canis festinat ad inserviendum Do-*  
*mino, aut socium in patina mordet, ut solus fragmenta comedat.*  
*Qvæ admiranda finis intentio non paucos movit, ut brutis ratio-*  
*nem, sed sine ratione adsignaverint. Cæterum concessa hac hy-*  
*pothesi non potest non Murcia concedere, agentia etiam natura-*  
*lia finem suum cognoscere. Nam si non cognoscent, propter finem*  
*non agent. Aeqvè enim necessarium finis requisitum dixit Mur-*  
*cia ejus cognitionem, atqve conditio requisita ad operandum est*  
*approximatio agentis ad passum. Uti ergo sine sua conditione*  
*nunquam est Efficiens, ita nec sine sua esse potest finis.*

*XXXIX. Excipit: Deus loco agentium naturalium fines*  
*eorum intelligit & cognoscit, ipsaq; ignara ad istos dirigit, E ma-*  
*net nihil minus finis conditio, qvod debeat esse præcognitus, et si*  
*ipsa agentia naturalia eum non præcognoscant. Contr.: Utrum-*  
*que falsum est. Cognitio enim finis intelligitur non aliena sed*  
*propria, ut ipsa agentia illum cognoscant, & ad eum tendant: A-*  
*lias nihil vetaret, qvominus de Angelis & homine idem possis di-*  
*cere, qvibus tamen conditionem propriam non denegas. Et, si*  
*ipsa agentia naturalia, & non Deus eorum loco finem appetunt,*  
*ipsa etiam finem illum cognoscant, qvia appetitus omnis cogniti-*  
*onem præsupponit, nec fertur, nisi in bonum præcognitum. Id*  
*tamen non inviti largimur, variare cognitionis hujus modum,*  
*dum alia est *nationalis*, qvæ fit beneficio intellectus, ac inter agen-*  
*tia corporea soli homini competit: Alia *sensualis*, qvæ fit ope sen-*  
*suum, estq; tam in homine, qvam in brutis, qvomodo canis pa-*  
*nem oblatum cognoscit, & à baculo discernit: Alia *naturalis*, qvæ*  
*fit ope naturæ, estq; in homine, brutis, plantis & inanimatis. Sic*  
*pullianatum, qvam primum exclusi sunt, & ad aquam ducuntur,*  
*natare sciunt. Planta cognoscit, bonum sibi esse, conservare su-*  
*um individuum, hinc succum idoneum ad se attrahit, quo nutria-*  
*tur. Lapis in altum projectus cognoscit, bonum sibi fore, si in*  
*terra qviescat, ideo ad illam, si non prohibetur, descendit, adeò,*  
*ut si terra ipsi substrata secundum ductum perpendiculi fodiendo*  
*removeretur, descendere usq; ad centrum terræ, ibiq; immotus*  
*qviesceret, nec plus ultra ferretur, et si altera etiam terræ semidia-*

meter perfodi posset. Atque hanc triplicem cognitionem triplex sequitur appetitus, qui ut effectus testari potest de sua causa.

XXXIX. Finis (1) alias est *principalis*, alias *minus principalis secundarius*. Ille est, qui primariò ab efficiente intenditur, estq; vel *simpliciter principalis*, ad quem omnia opera diriguntur, ipse vero ad alium non refertur, ut gloria Dei: vel *in suo genere talis*, qui in ulteriore finem ordinati potest, ut summum bonum. Hic est qui propter principalem intenditur. Hujus nomine venire possunt media ad finem principalem ducentia, de quibus, si sunt necessaria, verus est canon: Qui vult finem, vult etiam media ad finem ducentia. Coincident cum fine principali finis *ultimo*, & cum *secundario subordinatus*, unde tamen nonnulli novam diiunctionem, sed perperam efformant.

XL. Finis (2) Alius est  $\hat{\wedge}$ , cuius consequendi gratia Efficiens laborat, Alius  $\hat{\wedge}$  in cuius gratiam finis  $\hat{\wedge}$  acquiritur: aut, quod idem est, finis  $\hat{\wedge}$  est res ipsa, quae debet acquiri, finis  $\hat{\wedge}$  cui res illa debet acquiri. Ita artis sutoriae finis  $\hat{\wedge}$  est calceus, finis  $\hat{\wedge}$  munitio pedis: pecunia finis avari  $\hat{\wedge}$ , possessio pecuniae finis  $\hat{\wedge}$ . Ubi monet D. Thomas *Ia IIe q. XI. a. III. 3m.* quod hic non sint duo finis, sed unus finis in in se consideratus & alteri applicatus. Ut ita unus ex his duobus constituantur finis completus & adaequatus, non secus ac ex objecto materiali & formalis resultat unum objectum adaequatum. Non igitur finis  $\hat{\wedge}$  habebit rationem finis, nisi ut conjunctus finis  $\hat{\wedge}$ : Nec hic nisi ut est id, cai volumus finem  $\hat{\wedge}$ . Ubi notandus Canon: *Finis  $\hat{\wedge}$  debet esse capax finis  $\hat{\wedge}$ .* e. c. *Aegrotus sanitatem affectans capax debet esse illius:* Ubi tamen sufficit capacitas logica, si non adsit Physica. Sic in conversione hominis, cum nulla adsit capacitas Physica, adest tamen Logica sc. non-repugnantia. Vid. Jac. Mart. *prælect. in Syst. Log. Kecker.* l. I. p. 221. Calov. *Metaph. divin.* p. 487. 488.

XLI. Tandem finis alias est *internus*, alias *externus*. Ille dicitur, qui in ipsa arte & iis disciplinis, quae proxime ad artium naturam accedunt, habetur, semperq; ab illis acquiritur, quomodo *exstructio domus est finis Architectonicae, Syllogismus Logicus, medicari*

medicari medicinæ. *Hic est qvī non semper in manu & arbitrio artificis est, sed salva artis essentia & operatione abesse potest. Ita inhabitatio ædium est finis Architectonicæ, veritas Logicæ, Sanitas medicinæ.* Ubi si indignus tibi videbitur finis nomine, ille quem dicimus externum, qvod in potestate agentis non sit; cogitabis, modum caulandi non ad executionem actu existentem, sed ad intentionem potentia verè reali pertinere, & finem externum interno multo vehementius Efficientem movere.

**XLII.** Restant causæ internæ, qvarum nobilissima est **FORMA**, qvam hoc loco non nisi pro altera parte composti naturalis materiae contradistincta accipimus, indeq; describimus, per qvam res materialiæ est id quod est, aut ut ex Svarez. pressiis Mendoza *Phys. IV. s. II. §. 14.* est *substantia simplex incompleta, actus per se materiæ, unum per se cum illa efficiens.* Qva descriptione exesse jubetur forma (1) *assidens*, qvæ essentiam rei non ingreditur, sed enti completo & in actu perfecto constituto adveniens, actiones tantum & operationes ejus perficit; qyomodo auriga adficit equis, & intelligentiæ rotatrices juxta Aristot. orbibus celestibus. (2) *Metaphysica*, qvæ est tota rei essentia ultra formam Physicam materiae etiam & subjecti conditionem includens, ut est humanitas. (3) *Accidentalis*, qvæ itidem ad constitutionem rei non pertinet, sed ei constitutæ supervenit, & accidentaliter illam determinat, sicut; unum per accidens cum ea constituit, qualis est albedo respectu parietis albi.

**XLIII.** Ratio causandi formæ indifferens est ipsa ejus Entitas: Ratio autem contrahens ejus activitas s. potentia actuandi, cuius exercitium est *causalitas formæ*, actuatio sc. & informatio (1) *materiæ*, qvam sibi unit & informat, non quidem largiendo ipsi essentiam & actum primum entitativum, sed tamen tribuendo ipsi proprietatem & distinctionem ab aliis (2) *Compositi*, qvod informat substantialiter, largiendo ipsi esse formale & omne id, qvod simpliciter à forma dependet, ut, essentiam, distinctionem & operationem specificam, juxta canonem: *Forma dat esse, distingvi & operari.* Requisita ad hanc actuationem necessaria sunt, tum debita propinquitas & indistinctia, tum naturalis inter formam & ma-

teriam proportio. Ex qvibus omnibus manifestum est, qvam absurdia sit Arist. sententia, qva Deum totius universi omniumq; rerum formam statuit. Cum enim omnis forma ingrediatur rei compositionem, sitq; altera pars compositi, Dei essentia ab omnibus rebus finitis, si non loco, tamen natura maximè est diversa, & in nullius rei compositionem venit.

XLIV. Dari autem formam, uti in solidiori Philosophia certum est, ita non desunt hodiè, qvi inficientur, rerumq; essentiā distinctionem & operationem non formis, sed misellis qvibusdam accidentibus acceptam ferant. At dari omnino debet in composito qvoddam principium operationum intrinsecum, radicale & actuale, per qvod unum compositum essentialiter distingvatur ab altero. Id verò nec nihil esse potest, qvia debet esse causa: Nec materia, qvia hæc merè passiva est, & non operatur: nec nudum accidens, cum accidentia tantum organa sint, à qvibus primariò & radicaliter actio non oritur, & differentiam unius ab altero essentialē non constituant. Ut taceam, qvod hoc modo nullum compositum naturale foret ens unum & perse, sed pōr accidens. Ex substantia enim cum accidente qvomodo cunque unita non fit, nisi Ens pēr Accidēns. Concedenda E. erit forma, qva negata tollitur præterea omnis corruptio, qvæ aliás fieri dicitur per separationem materiae & formæ. Firma igitur manet thesis, qvod omnia mundi corpora, maxima, minima, medioxuma suis sint formis p̄dita, adeò ut Atomus etiam, qvæ exigitate sua insectilis & invisibilis est, formâ destituta non sit.

XLV. Dividunt formam in materialē & immaterialē: Illam communiter describunt, qvod sit, qvæ de potentia materiae educta à materia intrinsecè dependet in esse & fieri. Ita Mendoza disq. Phys. IV. s. II. §. II. & Rada part. II. Controv. II. p. 40. Johan Caramuel Lobkowitzius Metaph. l. III. s. III. N. 101. paulò aliter definit per natureitatem finitam & corpoream. In ratione natureitatis, inquit, convenit cum intellectu divino, qvi natureitas etiam est. Ex eo enim & essentia divina constituitur divina natura, qvæ formaliter est intellectiva. Differt ab illo ratione infinitudinis: Ille enim natureitas infinita est, forma verò natureitas finita. Ratio natureitatis finite com- munis

munis est, & convenit bruti & hominis anima, dividitur per materialitatem & immaterialitatem: Si sit corporea, erit alga, si incorporea, erit spiritualis: Angelica quidem, si intuitiva; humana, si discursiva, & rationalis. Ubi non disqviremus, an natureitatis vox intellectui divino recte tribui, divinaq; natura ex essentia & natureitate ( qvæ ut æqvipollentia materiae & formæ ponit S.I. n.815 ) constituta, aut ut n.815. loquitur, composita dici possit, cum id affirmare ipsa orthodoxia nostra, qva nullam in Deo compositionem ne quidem fingendam esse docemur, prohibeat. Ea saltem qvæ definitio-  
nem causæ materialis concernunt, paucis expediemus.

XLVI. Ad educationem igitur de potentia materiae quod attinet, cum minor sit præsens pagina, qvam qvæ accuratam illius controversiæ pertractionem capiat, approbamus saltem hac vi-  
ce apertam Lobkowitzii confessionem n.1014. Quid est formam  
eduici, aut non educiri? Vix reperio duos Autores, qui eodem modo id ex-  
ponant, vix unum, qvi bene. Atque hoc manifestum existimamus  
causæ desperatae judicium. Si enim nondum norunt, qvid per  
educationem de potentia materiae intelligent, qvomodo formam  
materiale definiere possunt per eam, qvæ de potentia materiae est  
educta. Qyod autem dicunt, formam materiale in esse & fieri  
dependere a materia, s. ut Lobkowitz ait, esse corpoream, si in-  
telligent ratione essentiæ, ac si illa sit materialis & corporeæ sortis,  
iterum oppidò falluntur. Omnis enim forma ratione essentiæ  
immaterialis est, ut recte Scaliger ex. CCCVII.12. Cum formam di-  
xeris, intelliges immaterialitatem, simplicitatem, potestatcm, perfec-  
tionem. Quando vero nos materiale formam dicimus, id intellectum  
volumus ratione existentiæ, qvia talis forma ad suam subsistentiam  
materia indiget. Unde tales extrui possunt descriptiones:  
Forma materialis est, qvæ cum materia necessariò conjungitur in  
esse s. conservari & operari, nec extra illam existere potest, ut sunt  
omnes formæ præter rationalem. Immaterialis contra est, qvæ  
non tanta necessitate cum materia conjungitur, sed extra materi-  
am existere, & absq; ea conservari & operari potest, ut anima  
humana.

XLVII. Et

**XLVII.** Et & alia formæ divisio, qvæ quidem nominallibus ad numerari solet, h. l. tamen non prætereunda est, qvæ forma vel est *Generica* vel *Specificæ*: *Generica* dicitur, qvæ quidem actum dat materia sed imperfectum & potentiale, & unam speciem non constituit, unde & materia magis quam formæ indolem habet. Estq; vel *subordinata*, qvæ sub specificæ dominio latitat, donec eo liberata, specifica fiat; vel *partialis*, qvæ certæ parti quantitatibꝫ adscribitur, quam actuat; vel *Accidentaria*, qvæ nulla naturæ lege & ordine, sed per accidens ad tempus non nullis compositis inest: vel tandem *Generica in specie dicta*, qvæ est communis aliquis conceptus à pluribus formis etiam diversarum specierum abstractus, easq; sub se comprehendens. Forma verò *specificæ* est, qvæ dat ultimum essendi & subsistendi actum, unde & ultimata dicitur. Per actum essendi facit, ut res sit ut species; per actum verò existendi, ut existat ut individuum. Talis forma in homine est anima rationalis: in cæteris corporibus quidem datur, sed nomine peculiari caret, & incognita nobis est. Si qui verò sunt, qvi ignorantia asylum nos occupare putant, qvod profitemur, formas nos rerum ignorare, ab iis cum Scaligero ex. CCCIII. f. 12. meritò postulamus, ut nominent lapidis, qvi quotidiè eorum oculis obversatur, formam, & Phyllida foli habeant.

**XLVIII.** Ultima Causarum est MATERIA, non in qvâ, nec circa qvam, sed ex qvâ. Hanc Arist. dicit esse *aliquid* & *vel aliâ li* *éxistézovî*, ex quo aliquid fit, cum insit: Qvod plerique interpretum ita explicant, ut per ly ex quo aliquid fit notetur formæ ex potentia materia eductio, & in hanc cœu in subjectum receptio, vid. Arriaga *diss. VIII. f. I. n. 3.* Verum hac sua hypothesi definitionem Aristotelicam non explicant, sed inquinant, ac falsitatis ei labem adfricant, dum denuò decantatam illam formarum eductionem subinserunt, sicq; ex principio passivo & ignobilissimo efficiunt activum & nobilissimum. Sublata autem explicatione ista, tolerari potest descriptio, ita ut per part. EX excludatur *Efficiens*, *Finis* & *Forma*, & per vocem *éxistézovî* respetus habeatur ad compositum; vel etiam excludatur terminus extinsecus,

trinsecus, à quo res incipit fieri, quomodo album dicitur fieri ex non albo, prout explicat Murcia disp. III. Q. I.

XLIX. Materiae Principium causandi ut Quod, est absoluta materia Entitas, quæ ei denegari non debet, cum habeat actum entitativum, positionem scil. rei extra nihilum. Principium ut Quo est potentia receptiva, quæ plerisque eadem videtur esse cum Entitate materiæ. Si enim esset accidens realiter à materia distinctum, in ea utique esset receptum, alias ne accidens quidem esset. Receptum igitur esset per potentiam receptivam, de qua iterum quereretur, an Substantia sit, an Accidens? Si posterius, rediret quæstio, cum omne accidens recipiatur per potentiam receptivam, an hæc sit Substantia, an Accidens, & ita porrò in infinitum. Arripiunt ergo prius, scil. quod potentia illa receptiva coincidat cum ipsa Entitate materiæ. Unde Rada part. II. Contr. XII. a. 2. p. 378. b. Materia est Entitas simplex, haud composita ex actu Physico & potentia Physica. Neque etiam est actus absolute & simpliciter dictus: sed actus secundum quid primariò ac per se insitutus ad munus potentie exercendum, ob idq. pura potentia merita dici potest. &c. Sed respondet ad hæc Lobkowitz Met. l. III. s. II. disp. VII. n. 962. potentiam illam receptivam à materia recipi ut quo, non ut quod, non enim esse quod recipitur, sed rationem recipiendi. Quod autem recipitur ut Quo, non indigere alia potentia, ut recipiatur.

L. Causalitas materiae considerata in fieri consistit in receptivitate, quæ substat agenti, & actum formalem in se recipit: sed in facto esse consistit in sustentatione formæ, dum Entitatem suam substernit Unioni formæ productæ, & una cum illa compositum absolvit. Unde rectè Conimb. l. II. Phys. c. VII. q. XI. a. III. materia nihil agit, et si ad actiones forme pro rata portione sua concurnat, non quidem eas efficiendo, sed recipiendo, item etiam componendo totum, cuius est agere. Ad hanc Causalitatem exercendam præreqviritur iterum indistincta & mutua præsentia: cum materia, quæ est in terris, animam, quæ est in celis non possit recipere, nec cum ea uniri.

LI. Patet autem hinc, quod materia alia sit in fieri, alia in facto esse. Illa dicitur etiam materia productionis s. generationis,

E

estq;

estq; ex qva materiatum producitur. Ita materia hominis consti-  
tuendi est semen & sanguis, inde enim partes sanguineæ & sperma-  
ticæ elaborantur. Sic & materia aquilæ est ovum. Hæc dicitur  
etiam materia compositionis s. constitutionis, estq; ex qva materiatum  
constat. Ita materia hominis constituti, nec non aquilæ, est cor-  
pus organicum. Cum qva divisione fere coincidit illa, qva ma-  
teria est vel Transiens vel permanens. Illa est, qvæ in generatione  
materiati ita mutatur, ut ex suo esse transeat in aliud esse. Ita  
omnis materia in fieri, est materia transiens. Sic & caro bubula  
materia est Chyli, Chylus sanguinis, sanguis carnis humanae. Hæc  
non transit in aliud esse, sed totam essentia suæ naturam & inte-  
gritatem retinet, camq; ad constitutionem compositi tanquam  
partem essentiali confert. Sic unaq;que materia in facto esse  
est permanens, aurum item est materia permanens aurei poculi,  
lignum vel lapis mensæ &c. Ubi nota, omnem quidem materiam  
immanere debere, cum sic causa interna, specialiter tamen qvan-  
dam immanentem dici, qvia non tantum materiatu est interna,  
sed & secundum eandem rationem in eodem permanet.

LII. In Peripato celebris est divisio materiæ in primam &  
secundam. Prima ad mentem Praeceptoris est subjectum primum uni-  
uscujusque, ex quo sit aliquid, cum insit, non secundum accidens, & in  
quod, si quippiam corrumpitur, ultimo redit. Secunda vero est corpus  
per multas mutationes factum, ut ex eo, non intervenientibus aliis gene-  
nationibus, producatur res certa naturalis. Talem materiam dicunt  
esse celi, Elementorum & mixtorum. In probanda vero materia  
prima, & ab objectionibus vindicanda multum desudant. Vid.  
Conimbrica l. I. Phys. c. IX. q. I. seq. Mendoza disp. Phys. II. s. I. seq.  
Rada part. II. Controv. XII. p. 371. seq. Lobkowitz Met. l. III. Sect. II.  
Murcia disp. Phys. V. q. I. seq. Arriaga disp. Phys. II. s. I. seq. Equi-  
dem propriè ad Physicam hæc spectat, qvia tamen ejus principia  
in Metaphysica præcognoscenda sunt, hinc non abs re fuerit ver-  
bulo mentem aperiisse. Dicimus E. materiam primam sensu Ari-  
stotelico acceptam nil nisi figmentum esse. Posse autem alio coq;  
triplici modo admitti. I. Si per eam intelligatur communis qvæ-  
dam Idea, per præcisionem mentis ab omnibus omnium specie-  
rum

rum materiis abstracta. II. Si intelligatur materia celi & elemen-  
torum, qvæ alias simplex dicitur. III. Si per eam notetur rudis  
& informis illa massa in principio Creationis producta. Qvibus  
suppositis facile concedimus illam qvorundam distinctionem in-  
ter materiam primam existentem seorsim, & inexistentem  
composito. Plura qvi desiderat consulat Excell. Sperl.  
inst. Phys. & tr. de princip. corp. natur. Nos  
jam manum de Tabula.

¶

**Q**ui rerum causas novit, feliciter audit!  
Hinc etenim cunctæ cognitionis opes!  
Qui rem causarum penetrat subtilius, ille  
Judice me, felix non minus esse potest..  
Ut rerum causas exactè noscere possis,  
Ni rem causarum, nil eris, ipse scias.  
Hoc agitis docto meletemate. Causat, Amici,  
Res ea felicis cognitionis opes.  
Pergite causarum rem, & rerum qværere causas!  
Princeps causarum causa benigna sit!

Scr. A. G.

*Johann. Georg. Dorschens, D.*

**P**rincipium caussamq; suis distinguere punctis,  
Res est PHILOSOPHI digna labore VIRI.  
Ceret, qui vestrum, RATHENI, dogma iueri  
Aut nequit, aut non vult, nescie habere decus.  
Spectabo pulcrum, quod nobis ILLE Tbeatrum  
*HELGWIGIUS posuit, dignus honore Sophus!*  
Utriusque Disputantium laudisce.

*B. Gosman, P. P.*

Nil

**N**il sine PRINCIPIO est. Igitur cognoscere rerum  
Cunctarum causas, hoc Sapientis opus!  
Tu cognosce cupis RATHENI. Qvisque fatetur  
Qvod labor iste tunc sit Sapientis Opus.  
Sis verè Sapiens! Id cures esse qvod audis,  
Omneq; qvod prætas, sit Sapientis Opus.  
*Per Eximio D.N. RESPONDENTI cum Voto  
veræ Sapientiae & felicitatis scr.*

**P R A E S E S.**

*Ad Eximum & Doctissimum*

**Dominum Respondentem,**  
**de Causarum generibus disputantem.**

**S**i felix, rerum potuit qui noscere causas;  
Felix RATHENIUS jure vocandus erit:  
Qui genera & summam Causarum tractat acutè;  
Hic igitur felix terg̃ quaterg̃ sicut.

Celest. appos.

**M. Johannes Masius.**

**I**N Cathedrâ stantem cernunt Capitolia Phœbi  
TE jam RATHENI, promentem è pectore docto  
Causarum causas. Macete heus virtute perenni  
Posthac hoece tibi ut sit honoris causa futuri.

*Integerrimo suo scr. gratul.*  
**Otto Nicolaus Reppenhagen, LL. Stud.**

NB. Tb. II. l. 16. 17. transposita sunt verba Ebrea, que ita collocari debent:  
non tantum בֶן רַי וּבֶן רַעַד sed & בֶן רַי וּבֶן רַעַד Th. VII. l. 20.  
post navim add. & in navi muscam. Tb. XVI. l. 4. pro ἐρεμήσεως  
leg. ἐρεμήσεως. Præter hec que alia occurserint à nobis non visa errata  
B. Lectoris Candori commissa sunt.

• ( ० ) •



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn730137767/phys\\_0039](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730137767/phys_0039)

DFG




Universitäts  
Bibliothek  
Rostock

[http://purl.uni-rostock.de/  
rosdok/ppn730137767/phys\\_0040](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730137767/phys_0040)

DFG

munis est, & convenit bruti & hominis anima-  
 tem & immaterialitatem: Si sit corporea, erit  
 spiritualis: Angelica quidem, si intuitiva; hum-  
 oralis. Ubi non disqviremus, an naturei  
 vino recte tribui, divinaq; natura ex esse  
 ut æqvipollentia materiæ & formæ ponit S  
 ut n. 85. loquitur, composita dici possit, c  
 thodoxia nostra, qva nullam in Deo con-  
 fingendam esse docemur, prohibeat. E  
 nem causæ materialis concernunt, paucis

XLVI. Ad eductionem igitur de-  
 attinet, cum minor sit præfens pagina, qvæ  
 controversiæ pertractionem capiat, appa-  
 ce apertam Lobkowitzii confessionem n  
 educi, aut non educi? Vix reperio duos Autore  
 ponant, vix unum, qvi benc. Atqve hoc m  
 causæ desperatæ judicium. Si enim non  
 eductionem de potentia materiæ intelliga  
 materialem definire possunt per eam, qvæ  
 educta. Qvod autem dicunt, formam m  
 dependere à materia, s. ut Lobkowitzait,  
 telligant ratione essentiæ, ac si illa sit mate  
 iterum oppidò falluntur. Omnis enim  
 immaterialis est, ut recte Scaliger ex. CCC  
 xeris, intelliges immaterialitatem, simplicitaten  
 nem. Qvando verò nos materialem formam  
 volumus ratione existentiæ, qvia talis for  
 am materia indiget. Unde tales extrui  
 Forma materialis est, qvæ cum materia nec  
 esse s. conservari & operari, nec extra illam  
 omnes formæ præter rationalem. Immat  
 non tanta necessitate cum materia conjung  
 am existere, & absqve ea conservari & op  
 humana.



the scale towards document

materialita-  
 porea, erit  
 a, & ratio-  
 lectui di-  
 ate ( qvæ  
 ituta, aut  
 e ipsa or-  
 e qvidem  
 definitio-

eriæ qvod  
 tam illius  
 m hac vi-  
 t formam  
 odo id ex-  
 stimamus  
 qvid per  
 formam  
 ateriæ est  
 se & fieri  
 m, si in-  
 eæ sortis,  
 essentiæ  
 riam di-  
 perfectio-  
 collectum  
 bistanti-  
 ptiones:  
 ngitur in  
 , ut sunt  
 est, qvæ  
 a materi-  
 et anima

LVII. Est

UTT

Patch Reference Chart TE263 Serial No. \_\_\_\_\_

Inch

mm

0

10

20

30

40

50

60

70

80

90

100

110

120

130

140

150

160

170

180

190

200

210

220

230

240

250

260

270

280

290

300

310

320

330

340

350

360

370

380

390

400

410

420

430

440

450

460

470

480

490

500

510

520

530

540

550

560

570

580

590

600

610

620

630

640

650

660

670

680

690

700

710

720

730

740

750

760

770

780

790

800

810

820

830

840

850

860

870

880

890

900

910

920

930

940

950

960

970

980

990

1000

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070

1080

1090

1010

1020

1030

1040

1050

1060

1070